



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio  
Colonizæ Agrippinæ, 1620**

Capvt VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

DE CONGREGATIO-  
num Virginis Deipara uti-  
litate, ac fructu mul-  
tiplici.

## S V M M A R I V M.

Origo Congregationum Deipara, qua in no-  
stris domicilijs habentur num. 8.

Congregationum in vniuersum antiquissi-  
ma ol. m institutio num. 10.

Congregationum, qua Neapoli in Societatis  
domicilijs habentur numerus, earumque  
fructus num. 13.

Epilogus totius operis num. 20.

I N T E R ea, quæ Virgini grata in primis  
B. Virgini sunt, & hominibus, qui in seculo vitæ  
est gratissi- degūt, apprimè salutaria, illud est, vt  
mum in in aliquod ex Sodalitijs, seu Congrega-  
Congrega- tionibus B. Virginis se cooptari curent,  
tionē suam propter multa, quæ in illis exercētur pie-  
ingredi. tatis munia, de quorū vtilitate in presen-  
Congrega tia mihi agendū existimaui. Quæ quidē  
tiones B. sodalitia piorū hominū in eundem lo-  
Virginis cum statis diebus, horisque ad munera  
ad quid pietatis recolēda conuenientiū, in mul-  
instituta. tis iam Christiani orbis partibus consti-  
tura,



tuta, & Virginis patrocinio consecrata  
sunt; unde & nomē Partheniū inuenere.  
Sunt autē quasi quædam religionis, pie-  
tatisq; gymnasia, in quibus exercitatio  
virtutis cum ipsa vitę educatione cōiun-  
git, vt adolescentiū quidē animos opti-  
ma institutio ac pietas occupet prius,  
quā prauitas, & intēperantia inuadat.  
Alijs verò etate maturiores si per de flexa  
vitiōrū olim aberrarint, ad rectū virtutis  
callem reuocari, pietatis incant viam, &  
in eadē progressus in dies faciāt vberio-  
res. Siquidem in huiusmodi Congrega-  
tionibus omnis vitę ratio ad eam normā  
conformatur, quæ optimam Christianæ  
religionis obseruationē tuetur, ac diri-  
git. Nōq; verò in ea tantū re opera datur,  
vt q̄ est diuina lege præceptū, id integre  
inviolatēq; seruetur: sed in eo etiā ela-  
boratur, vt omnes quotidē magis in  
pietatis studio excellant; ex quo fit, vt  
pleriq; ad eam Christianæ vitæ præstan-  
tiam perueniant, à qua multi, qui hu-  
iusmodi sodalitatibus ascripti nō sunt,  
quā longē sūmē absunt. Harum Con-  
gregationum multiplex fructus in sode-  
les deriuatur, quorum aliquot hic re-  
censere operæ pietum duxi, vt omnes  
ad tam pium institutum complecten-  
dum inflammentur.



I. 2. Ac primum quidem sodales sub peculiari Virginis praesidio, ac patrocinio degunt, quasi sub eius pallio, cuius colenda, ac veneranda praecipuo studio sunt addicti, suaque bona opera uniuersa per illam Deo offerunt, quod faciendum monebat S. Bernardus serm. de Aqueductu. de quo diximus cap. 36.

Ex hac Virginis tutela qualis, quantaque existat utilitas ex ijs, quae toto hoc opere diximus, colligi facile potest: ut sodales quadam analogia de Virginis praesidio merito viuipare possint, quod Regius Propheta de diuina protectione dicebat: *Et in velamento alarum tuarum exultabo*. Quo enim in periculo versari potest eorum salus, quibus ad omnem opem assidue praesto est tutelatis illa maiestas, & materna B. Virginis custodia? Quae si uniuersum genus Christianorum, amplissimamque totius Ecclesiae Rempubli- cam clementissimo patrocinio tuetur, ac protegit, qua tandem beneuolentia complectetur eos, quos in secretiore familia, & in aulico, ut ita dicam, famularu apud se habet in sodalitijs suis?

II. Secundò, cum obsequiorum omnium, In Congre- que ad Deiparae uenerationem c. 36. perti- gatione nere diximus, tria sunt genera, assiduitas exercetur uidelicet piarum precum, eiusdemque Virgi- nis



nis inuocatio; tum corporis afflictatio, oratio, seu mortificatio, deniq; Christianæ misericordiae erga proximos officia, siue ea sint, quæ spiritualia, siue q̄ corporalia vocantur. Sanè eorū omnium obseruatio, vel in primis vigere solet in Cōgregationibus, vt satis patet ijs, qui eas perspetas habēt, & ex ijs, quæ dicemus clarius apparebit: quare mirū non est si pię sodalitatū exercitationes Virgini ita sint cordi.

3 Tertiò bonum ex Ambrosio lib. I. of- III. feriorum, c. 9. & ex D. Thoma I. part. q. 5. art. 6. in bonum honestum, delectabile & utile tribuitur; nec facillè tria hæc omnia in eandē rē conuenire solent, quæ admodum experientia satis est compertum, q̄ si quid triplicem hanc rationem boni se vno cōtineat; id peritatum quidem est, sed in illud omnes mirum in modum feruntur. hinc illud Poëtæ:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

*S. Thom. Hor. de arte poetica.*

Ex hoc ergo cōsequens fit Cōgregationem esse in primis ab omnibus expetendam, cum in se vna triplicē illam rationē boni cōplectatur. quod ferè in Psalm. 132. his verbis exprimitur: *Eccæ quā bonum, & quā iucundum habitare fratres in vnum:* idq; ostēditur tum exēplo vnguenti Aa-

T 3 ron



ron Sacerdotis, odore suo gratissimo circumstantes reficientis: tum etiã exemplo Roris montem Hermon, & montem Sion: tum ad fructuũ ubertatem, tum ad aspectus iucunditatem fecundantis.

1. *Honestas* Id ipsum ratione probatur, Congregationes enim bonum continent *honestum*, quippè quæ ad diuinũ obsequium, quo nihil est honestius; & Deiparæ honorẽ, quæ secundum Deum, principem in hac rerum vniuersitate obtinet locum, sunt institutæ, & in hunc finem sodales ad eas conueniunt.

2. *Incunditas ex Cõgregatione* *Incunditatem* verò ipsi percipiunt maximam ex Societate tot sodalium, qui selectissimi, & egregiarum sunt partium, ac in virtutibus Christiano homine dignis exercetur, hinc fit, vt nonnulli cum ad Congregationẽ accedunt, sodalesq; conspiciunt, ingentiq; læticia, & quodam spirituali deuotionis sensu perfundi, & quasi tot facibus ad pietatẽ inflammari se sentiat. Accedit quòd cum homo animal sit natura sua sociabile, nec faciliẽ solitudine delectetur, sed consociatione gaudeat aliorum, ideoq; quemlibet ferè socios habere iuuet: idcirco vniuersique danda opera est, vt eos deligat quales in Congregationibus viuunt. sic enim ab improborum hominũ consuetudine, à collo-



colloquijs pravis, à morum contagione quam longissimè aberit. Ex quo etiam fit, ut si quando aliqui sodalium inter se privatim conveniant, de pijs rebus, de virtutibus, de Sanctorum exemplis, deq; similibus rebus colloquantur; ad Dei, ac Dei patris cultum se ipsi excitent, eosq; inuicem sermones misceant, qui B. Virgini clientes non deceant.

4. Utilitas verò quæ ex congregatione capitur est multiplex, nam Prou. 18. *Fra-  
ter qui adiuuatur à fratre quasi Civitas firmata*; mutuis enim exemplis, consilijs, officijs, & precibus se inuicem ad pietatem inflàmant. Et quemadmodù deducimus ex Philosophis mutua necessitas quæ hominis de se inuicè habent ad vrbes ædificandas humanum genus coegit: simili quadam ratione multi in sodalitiù congregantur propter mutua, quæ sibi inuicem præstant charitatis officia, ut quod vni deest, sufficiat alter. Præclarum porro est, quod Matth. 18 dicit Dominus: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omnire quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est: ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: quibus verbis & vim orationis, quæ à multis pro eadem re funditur, declarat, & assisten-

<sup>3</sup>  
Utilitas  
ex Congregatione.  
Prou. 18.

Matth. 18.



tiam suam in eis, qui in suo nomine congregantur, pollicetur: quæ omnia in B. Virginis congregationibus fieri satis constat. Ad hæc Summi Pontifices in hoc pietatis studium ita probant, ut sodalibus Congregationum, quæ in domicilijs Societatis Iesu eriguntur, & ritè Congregationi Romanæ primariæ aggregantur, amplissimas indulgentias concesserint cum in Congregatione admittuntur, cum in eam conveniunt, cum aliquod peculiare opus ex eis, quæ diplomate exprimuntur exercent, cum denique ex hac vita decedunt, quæ omnia utilitatem, quæ ex Congregatione percipitur, declarant.

## IV.

*In legibus  
Congregationis  
præcipua  
pietatis  
opera.*

*Eccl. 36.*

*Præcipua  
qua in  
Congregationibus  
sunt, re-  
censentur.*

Quartò, cum præcipua pietatis opera præscribantur in Congregationis regulis, seu legibus, quæ quandam vivendi rationem sanctiorem, quam in cõmuni aliorum vitæ conditione reperitur, indicunt: propterea ex hoc capite oës ad Congregationem amplectendã maximè permoveri debet. sunt enim eiusmodi leges veluti sepes & propugnacula, quibus ad hostium ac ferarum incursionib<sup>9</sup> sodales mununtur: *Vbi enim non est sepes, Eccl. 36. diripietur possessio.* Quæ autem in Congregationibus fiunt, hæc ferè sunt: Constitutis diebus certum in locum conveniunt; & ne quis nisi magnis de causis absit, diligentissimè



gentissimè cauetur. Hic certo temporis  
 spatio simul se continent intentis certa-  
 tim animis ad cōmune studium pietatis,  
 Præmittunt preces aliquæ cum Litanijs: *Preces, ac*  
 deinde opportuna spiritalium librorū *Litania.*  
 sacra lectione, ac de ijs, quæ ex libris au- *Lectio li-*  
 dierūt, facta inter se collatione, instruun *brorum spi-*  
 tur, simulque eorum animi reficiuntur. *ritualium*  
 Datur & suum tempus canendis alterna- *& collatio*  
 tim diuinis laudibus, officio nimirum B.  
 Virginis, vel officio defunctorum, & si- *Officiū de-*  
 milibus. Simul omnes eo die Missæ sacri- *cantatur*  
 ficio interfunt, & præscriptis diebus cre- *Missæ unâ*  
 brò ad Pœnitentiæ, seu Confessionis sa- *interfunt.*  
 cramentum, & vnâ ad sanctissimâ Eucha- *Sacramen-*  
 ristiam, quod est præsentissimum contra *torū per-*  
 omnes tentationes præsidium, ac muni- *ceptio.*  
 men, accedunt: quin etiam dulcedine, &  
 vtilitati diuini huius cibi allecti, complu-  
 res crebrius quàm sodalitates statuât le-  
 ges, sacre Eucharistiæ sacramento refici-  
 untur. His accedunt statis temporibus  
 piæ religiosorum hominum cohortatio-  
 nes, quibus sodales verbum Dei audiūt,  
 & quibusdam veluti stimulis ad virtutē  
 incitantur. Vna præcipuè agitatur, & vi- *Meditatio*  
 get in toto cętu ad Deum oratio, & diui-  
 narum rerum contēplatio, in eoq; potis-  
 simum studio versatur Partheniorum so-  
 dalium industria, vt aliquid de Christi  
 T 5 Domi-



*Disciplina*

Domini cruciatibus, alijsve fidei Christianæ mysterijs meditentur. Adhibetur & suo tempore voluntaria corporis diuerberatio, quã disciplinam vocant, siue in Congregationis loco, siue etiã in propria domo. Multum etiam operę impenditur ad animas, quæ in purgatorij penis detinentur, omni ope iuuandas, indulgentias pro illarum expiatione consequi student. Pro ijs etiam, qui peccato mortali irretiti existunt, preces effundunt. Eos qui in Xenodochijs, & carcere detinentur interdum inuisunt, suisq; colloquijs, & opera consolantur, ac iuuant. Si q̄ incommodi alicui sodalium obuenerit, huic ad auxiliũ præstò sunt vniuersi. Quamobrem cum ægrotant, visunt inter se & fraternũ in morẽ iuuant; destinantur, qui ægrotantis necessitatem, & inopiam si quæ incidat, explorent; & pro virili parte quicquid opus est, benignè impertiant. Si .n. diem obierint missarũ sacrificijs, & alijs pijs operibus illis opitulantur. ita se mutuz charitatis vinculo arctius omninò, quã alij cognationis necessitudine complectunt. Illud quoq; in more positũ est, vt pro se inuicẽ orent. Parent certo moderatori, ab eoq; se ad moneri, reprehendi, imò & mulctari si quid contra regulas ab sese peccatũ sit, æquo

*Iuuant animas quæ sunt in purgatorio.*

*Orant pro ijs, qui in peccato mortali existunt.*

*Ad Xenodochia & custodias adeunt.*

*Se inuicẽ cum ægrotant inuisunt, ac iuuant.*



æquo animo ferunt. Quod si qua cuius-  
 quam appareat in suscepto instituto ti-  
 tubatio, vel offensio: statim ad eum cō-  
 firmandū, & in officio retinendū auxilio  
 præsto sunt, consilijs, monitionibus, &  
 quavis alia ope, vel officio charitatis.

Deniq; ijs, qui B. Virginis Cōgregatio-  
 nibus nomina dedere non tantū sua, sed  
 proximorū etiam salus cordi est. Quare  
 quoscumq; possūt ad pietatis opera suo  
 consilio inuitant & pertrahūt. Et si quos  
 Congregationi idoneos deprehēderint,  
 ad eā adducere student. Quare vnaquæ-  
 que sodalitas tū studiorū similitudine,  
 tum animorū cōsensione, nixuq; volun-  
 tarum, tum piorum operum cōmunica-  
 tione quædam, etiam loci communitate  
 ita efflorescit, vt religiosi cœtus imago  
 quædam, & simulachrum videatur.

Quintō, *Etiam est viro, Thren. 3. V.*  
*cū portauerit iugum ab adolescentia sua, Thren 3.*  
 quæ nisi diuina gratiæ freno coerceatur,  
 pronæst ad malū: quare ex hoc etiā ca-  
 pite Congregationum fructus spectatur  
 vberimus. siquidem in Congregatio-  
 nibus præsertim scholasticorum, & iu-  
 niorum Adolescentia Deo per B. Virgi-  
 nem dicatur, & præsijs, quæ supra attri-  
 gitur cōmunitur: idque datur opera vt  
 ad bonū diuina gratia inflectatur. Qua

apps.

T 6

in re



*Christi  
imitatio.**Luc. 2.**Exemplū  
Desparæ,  
& aliorū  
Sanctorū.**Eorū, qui  
in Cōgre-  
gationibus  
vivunt cū  
alijs com-  
paratio.*

in re huiusmodi sodales Christū imitan-  
tur, qui infans pro nobis circūcisus, qua-  
dragesimo die in Templo presentatus, &  
duodecimo anno in Templo ad ea, quæ  
Patris sui erant remāsit, Matre sua mini-  
mè conscio, à qua dubitare non poterat  
se ab ijs, quæ Patris sui erant, reuocatum  
iri: sed vt nobis exemplum præberet in  
ijs, q̄ ad Dei honorem, & ad animæ salu-  
tem spectant, etiam absq; parentum con-  
sensu, à turba nos ipsos subducere, & di-  
uinis rebus à prima ætate consecrare de-  
bere. Cuius etiam rei exemplū dedit no-  
bis sanctissima Virgo, quæ trimula in tē-  
plo, vt c. 8. diximus, Deo se consecrauit,  
ibiq; in Dei obsequio est educata. De ple-  
risq; quoque Sanctis idem est literis pro-  
ditum. Sanctus enim Ioānes Baptista le-  
gitur: *Antra deserti teneris sub annis. Cui-  
um turn as fugiēs petiisse* Idem de S. Paulo  
primo Eremita, de S. Benedicto, de S.  
Thom. Aquinate, & de alijs legimus, quo-  
rum exempla proportione quadam imi-  
tantur adolēcentes ij, qui B. Virginis Cō-  
gregationi à tenera ætate dant nomen.

7 Quod si quis harum Congregationū  
fructum, atq; animarum vtilitatē, quæ ex  
huiusmodi sodalitijs existit, inspicere ve-  
lit: secum ipse tantisper reputet eorū, qui  
ad illa venditant, conditionem, atq; cum  
ijs,



ijs, qui ijsdem ascripti nō sunt, vel tenore vitæ, vel rerum spiritualium gustu cōferat. Etenim verò in plerisque horū, qui in communi quadā viuendi ratione versantur, nec vllis Congregationum legibus astringuntur, quæ salutis auxilia? quis diuinæ legis, vel amor obseruandæ, vel violandæ metus? Primum enim in plerisque ex his magna est ignoratio rerum, quæ ad animæ salutem necessariæ, vel certè vtiles sunt: deinde à summis tantum flagitijs se abstineant, quamuis ad alia minimè leuia dilabantur, multum sibi profecisse videntur, dæmonis fraudes atque asturias ignorant, seu nō valdè attendunt: quare nec ab illis sibi valdè cauent. sempiterna impiorum supplicia, & piorum præmia, vitæ & passionis Christi Domini mysteria, diuina item beneficia ne vix quidem animo recogitant; ad salutarem peccatorum penitentiam in Paschalibus festis ægrè accedunt.

Contra verò, qui Parthenia sodalitia adeunt, in ijs, quæ ad salutem consequendam pertinent, diligenter instruuntur. Præsidiorum, quæ ad piè viuendum requiruntur, non mediocris illis copia supeditatur. Christi Domini vitam, aliaq; fidei nostræ capita per intimam contemplationem penetrare student. Corporis



voluptates coercent, carnis illecebras fugiunt. Laboris molestiam, si qua sit in virtutum exercitatione, aliorum exemplum, & ipse usus diuturnus imminuit. Quo fit, ut studiosissimus quisque, atque probus ad maiorem in pietate progressum impellatur: inertes, ac desides aliorum exemplo, consilio, atque auxilio ad meliorem frugem reuocentur. Hinc tanta in Urbibus, ubi haec vigent sodalitates, in melius facta mutatio: in ijs enim, qui literis dant operam, quique aliquam complexi sunt Virginitatis sodalitate, magnus etiam in literarum etiam studijs exiit progressus. Hinc iisdem sodalibus suadeatibus, eorumque etiam cognatorum, domesticorum, amicorum, & aliorum in moribus est facta mutatio, & ad omnem pietatem accessio. Aliqui postea sodales ad civilia negotia sine animae suae periculo tractanda disponuntur. Alij Christum ad curissimum Religionis portum eos vocantem alacriter, promptaque sequuntur.

*Sodales etiam in literis magis proficiunt, & alios ad pietatem excitant.*

*Societas Iesu quomodo Congregationes promouet.*

Maneat igitur ex ijs, quas diximus, has Congregationes diuisum fuisse inuentum & caeleste consilium, Societatemque nostram, quae omnem instituti sui rationem ad proximorum salutem ac commodam, in suis Collegijs, & Domibus, tum ad instituendam in pietate iuuentutem, tum etiam ad  
alios



alios quoque in rebus spiritualibus iu-  
nandos, meritò huiusmodi sodalitia ce-  
lebrare, ac propagare in dies magis, eaq;  
pro ratione ætatum, ac studiorũ distin-  
guere, & numerare, vt pueri à viris; lite-  
rarũ studiosi, ab ijs, qui alijs occupatio-  
nibus destinantur; qui aliqua dignitate  
præstant, à reliqua multitudine. Rustici,  
& Agricolaæ ab opificibus, & ijs, qui in  
Ciuitate negotia tractant: Sacerdotes  
etiã à laicis, vbi cõmodè fieri potest, se-  
gregentur, ac laus cuiq; ordini, ætati,  
dignitati locus sit, suæ leges, sui præfecti  
atq; custodes. Eo fit, vt & æqualium ex-  
emplo, adiuuentur infirmiores; & mul-  
titudinis æqualitate, omnes delectentur,  
alacriusq; conueniant.

**ORIGO CONGREGATIONVM**

*Deipara. que in nostris domi-  
cilijs habentur.*

**C**æterum nec inutile, nec iniucundũ,  
futurum arbitror harum Congrega-  
tionum, quæ in domicilijs Societatis Iesu  
sub Virginis Deiparæ tutela existere  
diximus, initia hoc loco paucis comme-  
morare, quod ex Societatis Iesu historia  
à nostro Francisco Sachino non minus  
piè quam fideliter, & accuratè cõscripta,  
suis



fuis ferè verbis referendum duxi ; vt oēs intelligant , *Digitum Dei* fuisse, qui huiusmodi sodalitijs ex tam debili principio ortum ducentibus, per matris suæ patrocinium, innumerabilium adolescentium, aliorumque virorum saluti prospicere voluit ; hisce præsertim calamitosis temporibus, in quibus hereses in Septentrione impunè, vbique verò ad omne scelus procliuiras adeo grassabatur. In cægitur historia cum agitur de ijs quæ ad annum 1563. spectant, sic habetur : Inchoata est pia quædam sodalitas, auctore Ioanne Leonio Belga infimæ rudimentorum Grammaticæ classis Magistro, inter inferiorum classium adolescentes ex his, qui præcipuo studio sociare cum literis pietatem cuperent. cœpere diebus singulis, post missos cæteros, in vnâ scholis, in qua altare pulchrè ornauerat, cōgregari. ibi orabāt aliquādiu vniuersi : dein vnus pio libello quidpiā legebat, audientibus cæteris. Diebus verò Dominicis, ac Festis etiam vespertinas, de more Ecclesiæ, modico cum cantu peragebant preces. Ex his rudibus initijs sodalitates, quæ deinde *B. Virgini* præcipuo studio dedicatæ tam insigni cum iuuentutis, atque aliorum bono certis formatæ institutis, latè per omnes mundi oras fusæ sunt,



sunt, emanarunt. Quanquam non Romę  
primum hi simplices discantium cœtus  
exorti: nam ante hunc annum Genuę,  
ac Perusię mentionem eorum reperi. hæc  
ibi. Deinde inter ea, quę anno 1564. sunt  
gesta, idem Sachinus de hac ipsa sodali-  
tate Romana narrare sic pergit: Quę cę-  
pta superiore anno sodalitas discantium  
erat, ea beatissimę Virginis subiecta hoc  
anno tutelę est: ijsque constituta legi-  
bus, quibus magnam partem, hodieque  
regitur. finis propositus in pietate, lite-  
risque progressus. sodales ad septuaginta  
numerantur. Quęque hebdomada  
confiteri. Quoque mense sanctissimum  
Christi corpus sumere, singulis diebus  
sacro interesse. Virginisque vel Rosaria,  
vel Preces e libello iussi percurrere. Ve-  
sperti e schola dimissi congregati quar-  
tam horę partem meditationi; alteram  
autem partim excipiendis capitibus, quę  
die postremo meditarentur, partim con-  
ferendo breuiter, quę agitauerant con-  
sumebant. Diebus festis a prandio post  
decantatas vespertinas preces, alij ad vi-  
sendos in Nosocomijs ægrotos, alij ad  
salutandas Diuorum reliquias, alij ad a-  
lia pia munia mira ibant alacritate. Om-  
nibus vnus e Societate præerat, qui cum  
cætera moderabatur; tum diebus Domi-  
nicis



nicis adhorrationem habebat. Ex sodalibus vnus, qui præflet ceteris, lectus est, cui Præfecti appellatio indita: duodecimq; præterea, inter quos cura reliquorum distributa, vt nullus negligereur; quoq; paucioribus quisq; intentus esset, hoc absolutis cuncta procederent. In ceteris commoditatibus huiusce sodalitaris illa non fuit è postremis, q̄ inter se agētes pari animo, & pietate adolefcētes, vitabant improborū consuetudinē, qua molli, improuideq; ætati exitiū nullum est certius. hæc enī ex historia Societatis

Cum verò similes Congregationes temporis processu in præcipuis nostræ Societatis Collegijs iam essent institute, earumq; fructus lōgè lateq; ad plurimos manaret, Gregorius XIII. Pontifex Maximus, qui huiusmodi pietatis exercitationes, sicut & reliqua omnia ad Deī honorē spectantia fouere solitus erat, Diplomate suo nonis Decembris anni 1584. primariam Congregationē in Ecclesia Collegij Romani Societatis Iesu, externorum scholarium, & aliorū Christi fideiū sub titulo Annunciationis B. Virginis, quæ per Præpositum Generalem Societatis Iesu dirigitur, auctoritate Apostolica erexit, atq; instituit, Indulgentias amplissimas sodalibus est largitus,



rus, potestatemq; eidem Generali Præposito fecit, quasuis alias Congregationes in nostris extra urbem Collegijs erectas, huic primariæ Romanæ aggregandi, illisque easdem Indulgentias communicandi. Eandem postea facultatem Sixtus V. nonis Ianuarij anni 1586. extendit ad alias Congregationes, tum eas, quæ non constant scholaribus, tum etiam eas, quæ in Societatis domibus, non tantum in Collegijs eriguntur, idq; siue à Virgine Annunciata, siue à quouis alio titulo, & inuocatione nomen acciperent. Clemens verò VIII. die 30. Augusti anni 1602. ad Cōgregationes in residētijs Societatis cōstitutus eandē facultatē benignissimè extendit.

9. Multa porò sunt, quæ harum sodalitatium in Societatis Iesu domicilijs erectatum præter ea, quæ hæctenus differuimus, pium institutum commendant, atque adiuuant. In Primis tot summorum Pontificū, qui Christi vices in terris gerebant erga eas, vt vidimus instituēdas, & Indulgentiarum largitione decorandas pro p̄sum studium atq; benignitas. Tum plurimi insignes viri, qui ex his sodalitatibus prodierunt, & vel religiosè vitæ institutum complexi, vel in sæculo remanentes, Rempublicam Christianam

*Quæ Congregationum institutum cōmendant.*

*Summi Pontifices.*

*Insignes viri ex Congregationibus*

nam



*Pralati &  
Principes,  
qui Con-  
gregationi  
dant no-  
mina.*

*Multitu-  
do sodaliū  
omnis ge-  
neris.*

nā sua opera egregiē iuuerunt, & iuuant:  
neque tantum ex ijs sodalitijs Episcopi,  
sed & aliquod S. R. E. Cardinales, quo-  
rum aliqui etiam nunc viuunt, extitere.  
Deinde complures Ecclesiarum Præsu-  
les amplissimi, & viri Principes Ciuita-  
tum, vel honoris gradu vel generis no-  
bilitate alijs longē superiores; Sodalitia  
tamen hæc amplectuntur, & in commu-  
nem cœtum, nomenq; fraternum sode-  
lium admitti se volunt, absq; vlla, vel lo-  
ci, vel appellationis exceptione, quod  
multis in locis, sed præsertim in sodalitia  
Domus Professæ Romanæ, ad quod mul-  
ti conueniunt Prælati, cernere licet, in  
quo Cardinales ipsi sua interdum præsen-  
tia, & suis ad sodales sermonibus, alios  
ad hoc pietatis studium inuitant. Neque  
illud in postremis harum sodalitatū in-  
stiturum celebrat; multitudo nimirum  
sodalium, & quidem diuersorum ordi-  
num, vt omnes ferè Ciuitatis status hac  
ratione iuuetur, excludatur nullus: qua-  
re tum propter multitudinem, tum etiā  
propter ætatis, ac munerum, seu officio-  
rum diuersitatem, plura eodem in domi-  
cilio exigunt sodalitia, vt videre est mul-  
tis in Ciuitatibus; nobis sufficiat exempli  
causa vnius Ciuitatis Neapolitanæ sode-  
litates commemorare, in qua Societas  
nostra



nostra in suis locis ad quindecim circiter  
easque maximè frequentes numerat, de  
quibus aliquid breuiter infra perstrin-  
gere non grauabor, vt ex his reliquas to-  
to propemodum orbe sparsas conijcere  
possimus. Sed quod caput est omnium,  
quodque ad sodalitatum commendatio-  
nem in primis facit, illud est, quod in  
huiusmodi sodalitatibus illustribus ar-  
gumentis declarat patrociniū suum  
Angelorum Regina, quæ huius generis  
alumnos multis in periculis præsentio-  
pe defendere consuevit, quod quamplu-  
rimi experti sunt. & Congregationum  
sub Virginis nomine, non tantum in no-  
stro orbe, sed in Indijs etiam erectarum  
fœlix progressus satis ostendit, Virgini  
eas cordi esse.

Quare, vt initio dicebamus, inter ob-  
sequia Deiparæ acceptissima, quæ ei de-  
ferre possunt, id est, qui in seculo viuunt,  
hoc erit Virgini sanctissimæ longè gra-  
tissimum, vt scilicet in eius Congrega-  
tionem ascribendos se eurent, statis die-  
bus ad eam cōueniant, regulas sodalium  
exactè obseruent; alios quibus cum a-  
gunt ad pietatem excitare studeant, vt  
Virginis beatissimæ beneficijs, quæ in-  
numera in nos contulit, aliqua saltem ex  
parte respondentes, ad maiora in poste-  
rum

*Congrega-  
tiones B.  
Virginis  
patrociniū  
experimur.*

rum



rum ab ea accipienda, magis, magisque disponamur.

*Apud alios religioſes Cōgregationes habentur.*

Neq; ſolum in ſocietatis noſtræ domicilijs, ſed in alijs etiam religioſorum hominum familijs complures piorum ſæculariū Congregationes, ſeu ſodalitates magno cum ſodaliū fructu viſuntur.

**CONGREGATIONVM VNI-**  
*uerſam antiquiſſima olim*  
*inſtitutio.*

**A**T ne quis has piorum hominum ſodalitates, ſeu congregationes exiſtmet nouū eſſe, ac recens inuentū, & idcirco eas nō ita magnificat; oſtēdā planē plurimis ex antiquitate petitis exemplis earundē viſum in Chriſtiana Reipublica eſſe per antiquū, plurimasq; ex eis utilitates ſuperiorib; ſæculis in alios manſiſſe: nam vt omittam eas quas vocant cōfraternitates, ſeu Confratrias ad varia pietatis munera exercēda (de quib; multa egregiē diſſerit Nauarrus in miſcellaneis de Pſalterio, ſeu Roſario) & vt taceā pleraſq; alias ſodalitates diuerſis in Urbibus inſtitutas, à quibus recensendis ne nimium ab inſtituto digrediar, cōſultō abſtineo; aliquas tamen mihi magis exploratas tacitus prætereire non poſſum.

*Nauarrus*

Et



Et in primis quid dicam de sodalitate Rosarij a religiosissimo Prædicatorum Ordine propagata? cuius precandi formula, vt capit. 20. & 39. dictum est Virginis, iussu per S. Dominicum est instituta: hæc enim Rosarij sodalitas toto propemodam terrarum orbe ad hanc vsq; diem, & numero sodalium vtriusq; sexus, & nominis celebritate, pietatis progressibus florentissima, verè Rosarij cœlestis diuinum odorem, & amœnissimam suauitatem, ac pulchritudinem refert.

*De Confraternitate Rosarij.*

Florentiæ sodalitas quædam piorum hominum fuit in Deiparæ honorẽ congregata, in qua anno 1233. die assumptæ Virgini sacro cum eidẽ Virgini B. Bonifilius Monaldius Florentinus cum sex alijs laudes precesque piè persoluerent, cœlesti voce admoniti mundo nuncium statim remisere, ipsoque natæ Virginis die initium dedere Ordini Seruitarum nuncupato; quod B. Virgini, ex cuius sodalitate prodierant, seruos se profitebantur: quos etiam per urbem Florentiã transeuntes B. Virginis seruos à lactentibus appellari memorie proditum est, seque à sæculi strepitu ad montem Senariũ, qui nouem Florentia miliaribus Mugellam versus distat recepere. elapso

*Ex Virginis sodalitate prodijt Ordo Seruitarum.*

deinde



deinde septennio à Virgine magno Angelorum cœtu comitante, manu altera atram vestem, altera sancti Augustini regulam præferente, singillatim per visum sunt iussi ea regula, & illo exinde habitu uti in memoriam eius, quam Virgo sanctissima ex Christi passione persensit, afflictionis, atque tristitiæ.

*De Confraternitate  
Disciplinatorum Senensis.*

II Senis præterea vrbe Herruriæ celebri, quæ ob singulare studium erga Dei parentem, & in eiusdem fide clientelam nominati gaudet Ciuitas Virginis multis iam inde seculis fundatum est nobilissimum illud sodalitium, seu (ut vulgo vocant) Confraternitas disciplinatorum B. Mariæ Virginis quæ est in domo Hospitali, quam dicunt de la Scala, vbi preces, corporis flagellationes, & alia pietatis exercitia sunt in vsu. ex quo loco, ut testatur auctor vitæ S. Bernardini Senensis, omnes ferè Italiæ disciplinatorum laicorum piæ exercitationes, vel deuotionis studia dimanarunt. ex illo loco complures prodire viri sanctitate illustres; & religiosorum ordinum Fundatores, vel in primis B. Ioānes Columbinus vir sanctissimus, & Iesuatarum Fundator, eiusque socius Franciscus Vincentius. Itemq; Ordinis Montis Oliueti Fundatores, B. Bernardus Ptolomeus, Patricius patritij, & Am-

*Vide auctorem vitæ S. Bernardini Senensis, apud Surium 20. Maij.*



& Ambrosius Piccolomineus. Ex eodem catu extitere B. Petronius de Petronijs, postea in Carthusianorum familiam admissus, Andreas de Galleranis, speculum sanctitatis, alijque innumeri religiosæ vitæ professores, inter quos recensetur S. Bernardinus Senensis celeberrimæ sanctitatis vir Fratrum Minorum, qui de Observantia vocantur, si nõ primus fundator, saltẽ propagator præcipuus, de cuius insigni doctrina, & egregia in Virgine pietate nonnulla c. 35. diximus: quæ verò hoc in loco de sodalitate Senensi commemorauimus ex auctore vitæ S. Bernardini apud Surium tom. 3. accepimus.

Romæ in S. Maria Maiora præclarissimæ sodalitas, quæ dicitur Confalnois est erecta, quæ ad S. Bonauenturam Doctorem eximium, qui anno Domini 1273. ex hac vita migravit, suam refert institutionem. Matthæus quoq; Villanus lib. 2. hist. c. 26. eiusdem sodalitatis meminisse videtur: ait enim Romæ in S. Maria Maiore occasione Societatis eorum, qui vocabantur commendati B. Virgini, complures eò conuenisse, quorum industria vrbs, quorundam studio diuexata, suo splendori est restituta tempore Clementis VI. anno Iubilæi 1350.

V

Romæ



*Sodalitas  
diuini  
amoris.*

Romæ quoque quædam Sodalitas inter reliquas extitit in templo S. Dorotheæ, quæ à *diuino amore* cui sodales præcipue studere satagebant, appellationem acceperat, ad quam complures tum Ecclesiastici, tum Laici, & in his Prælati, alijque viri nobiles conueniebant, spiritualibus operibus vacabant; in meditationibus, & exhortationibus exercebantur; ad sacramenta percipienda crebrius quam alij eo tempore facere cõsueuerant, accedere studebant. Ex qua complures tum vitæ sanctimonia, tum doctrina illustres prodire, inter quos meritò numerantur quatuor illi, qui religiosissimi Ordinis Clericorũ Regularium, quos Theatinos vulgo vocant auctores, & fundatores extitere anno Domini 1524. die 14. Septemb. omnes natione Itali, generis nobilitate, & vitæ sanctitate præstantes, qui omniũ primi hac tempestate Clericorũ Regularium Ordinem excitarunt, vt suo exemplo, atq; opere clerũ sæcularem ad sanctiorem viuendi rationẽ iuxta sacrorum Canonum normam excitarent. Hi fuere B. Caietanus Thieneus Vincentius, Prothonotarius Apostolicus, qui vitæ meritò miraculis etiam claruit: Bonifacius à Colle ab Alexandria Galliæ Cisalpinæ Urbæ:  
Paulus

*Theatini.*



Paulus Consiliarius Romanus, & Ioannes Petrus Carrafa Neapolitanus Episcopus Theatinus, qui Episcopatu relicto post exactos in ea Religione aliquot annos à Paulo III. in Cardinalium Ordinem allectus, & anno 1555. Pontifex Maximus renunciatus, Paulus IV. appellari voluit, Catholicæ fidei cõtra Hæreticos acerrimus propugnator, & Ecclesiasticæ Reformationis, in quam non exiguam operam contulit, studiosissimus: quæ omnia plenius describuntur c. 1. & 9. historiæ eorundem Clericorum Regularium, quam piè, ac diligenter nuper edidit generis nobilitate, ac pietate conspicuus, Ioannes Baptista de Tuso ex eodem Ordine ad Episcopatum Aceranum assumptus.

12 Nec solum Senis ex sodalitate Virgini consecrato, & Romæ ex sodalitate diuini amoris Religiosorum plurimi, & Religionũ Fundatores prodierunt: sed in Vrbe etiam Neapoli, vbi cum multæ habeantur varijs in locis piorum hominum sodalitates; vna tamen anno ab hac nonagesimo est instituta, cui nomen est S. Maria succurre miseris, quã De Societate vulgo vocant *de li bianchi*, à linea, & tate quam candenti veste, qua induti procedunt, vocant *dedum* munia sua per Urbem obeunt: eius *li bianchi*

*De sodalitate Neapolitanis.*



*Sub inuo-  
catione  
Virginis.  
Iuuant eos  
qui extre-  
mo suppli-  
cio afficiū-  
tur.*

*Collocant  
honestè co-  
gnatas  
eorum.*

*Hector Pi-  
gnatellus,  
vnus ex  
Sodalibus  
Societate  
Iesu Nea-  
polim euo-  
candam  
curat.*

sodales fuisse semper è primarijs, & cla-  
rissimis viris, siue cum ea leici permixti  
erant Clericis: siue cum ex solis (vt nunc  
habet) constat Clericis. Præcipuum aut  
eorum institutum ijs, qui extremo sup-  
plicio afficiuntur. opportuno solatio  
monitisq; ad id tempus idoneis, & con-  
silio, & auxilio præsto esse; eosque ad  
supplicij locū solemniter prosequi, con-  
solari, ac eorum mœrorē pro virili par-  
te leuare. quin etiam eorum familias (vt  
res ita postulet) in fidem suscipiunt, &  
vxores, filias, sorores honesta dote col-  
locant; certos ad id habent redditus, sua-  
que industria constitutos, multos etiam  
qui propter æris alieni difficultatem in  
custodia detinentur, pecunia creditoribus  
persoluta liberant, ad auram popu-  
larem vitandam mirum in modum se se  
ipsi occultant.

Ex eorum numero extitit Hector Pi-  
gnatellus Hipponij vulgò Montis Leo-  
nis Dux, vir spectatæ integritatis, & in  
Neapolitano Regno inter primarios, is  
cum audisset à Hieronymo Vignes viro  
integerrimo eiusdem Congregationis  
sodali, qui nostrorum consuetudine Pa-  
tauij vsus erat, instituti nostri rationem  
ad Christianæ rei propagationem in pri-  
mis vtilē, à B. Ignatio Societatis nostræ  
parente



parente exorauit, ut aliquot è Societate Iesu mitteret, qui Neapolitani Collegij fundamenta iacerent, egitq; cum pro rege Neapolitani Regni, qui eo tempore erat Petrus à Toletò, ut idem per litteras à B. Ignatio peteret, nostrosque cum P. Nicolao Bobadilla, vno ex nouem B. Ignatij socijs, mense Ianuario anni 1552. ab eodem B. Ignatio Neapolim missis humanissime excipiendos curauit.

Ex eodem piorum virorum sodalitiò anno 1588. nonnulli Sacerdotes viri, & genere nobiles, & in cultu pietatis egregij, Religiosissimum Ordinem instituerunt Clericorum Regularium Minorum à Sixto V. confirmatum, ij fuere Augustinus Adornus Genuensis, Franciscus Caraeciòlus, Augustinus item Caracaciòlus Neapolitani; qui Neapoli auita iam familia celebre domicilium habent in æde sacra B. Mariæ Maioris, quorum spectata virtus eidem Ciuitati Neapolitanæ, alijsq; Urbibus, ac Prouincijs, ad quas in dies propagatur, magno est tam exemplo, tum ornamento. Nam præter alias pietatis exercitationes, in perpetuam diu, noctuque orationem, succedentibus sibi inuicem eiusdem Ordinis Religiosis, coram sacrosancta Eucharistia incumbunt; quotidie etiam ex pæ-

*Petrus à Toletò.  
P. Nicolaus Bobadilla.*

*Ex hac prodijt Ordo Clericorū Regulariū Minorum.*



scripto Religionis eorū vnus pane tantum, & aqua vescitur; alius verò ciliciū ad carnem gestat. Alius disciplina se ipsum diuerberat sic, vt nullus prætereat dies: quin eorū aliqui eiusmodi corporis castigationes subeant. Atque hæc omnia Neapoli ex sodalitate, quam vocant *de li bianchi* ortum habuere.

## *Congregationum*

**CONGREGATIONVM, QVÆ NEAPOLI**  
*in Societatis domicilijs habentur,*  
*numerus, earumq; fructus.*

13. **Q**uoniam verò præclaræ huius sodalitaris in vrbe Neapoli mentionem fecimus, non ab re erit hoc loco id q̄ supra polliciti sumus, paucis subijcere, quæ quorūve sodalitia hac vna in vrbe Societas Iesu suis in domicilijs instituerit. Et quidem biennio postquam Patres nostri in eam urbem aduenerant, cum pietatis semina spargere iam cepissent, anno Domini 1554. die 14. Ianuarij à viris ætate prouectionibus instituta est in Collegio nostro Congregatio quædam, quæ nomen à veneratione sanctissimi Sacramenti desumpsit, quod eius sodales crebram sacramentorum susceptionem Neapoli inducendam studeant: id quod Dei ope feliciter præstiterunt.

I.  
*Congregatio venerationis sanctissimi Sacramenti Neapoli omnium*



runt. Hanc Congregationem ex vrbe *in Societate*  
 B. Ignatius Societatis nostræ parens per *te anti-*  
 literas laudauit, approbavit, suaque be- *quissima.*  
 nedictione est profecutus, eamque sic ap-  
 pellari voluit; quare Congregationum  
 quas ego sciam, quæ in Societatis domi-  
 cilijs siue Romæ, sibi alibi habentur,  
 hæc videntur omnium antiquissima: ad  
 eam tamen non multis patebat aditus,  
 sed pauci admodum, ijque maximè pro-  
 bati admittebantur, quæ anno 1610. So-  
 dalibus id efflagitantibus in Domum  
 Professam est translata.

Cæterum hac omissa, quæ è venera-  
 tione sanctissimi Sacramenti, vt dixi, est  
 appellata; habet Societas nostra in vrbe  
 Neapoli, tum in Domo Professa, tum in  
 Collegio (preter illam nautarum, ac pesca-  
 torum, quæ est in Domo Probationis, vt  
 mox dicemus) Congregationes Beatæ  
 Virgini dicatas omnis generis, & ætatis  
 hominum non minori sodalium emolu-  
 mento, quam ciuitatis bono, ad *quinde-*  
*cim.* easque frequentissimas, quarum sin-  
 gulis vnus saltem ex patribus præest, in  
 quibus sodales numerantur *bis mille, &*  
*trecenti,* & eo amplius: ex quibus innu-  
 meri ex sæculari ad religiosæ vitæ statum  
 in varias religiosorum hominum fami-  
 lias se transfulerunt.

*Sodalitia**B. V. quin**decim**Neapoli in**Societatis**Iesu domi-**cilijs.**Sodal**2300.*



II. 14 In Collegio (quod in ea vrbe multis ante annis fuit, quam Professorum Doctus fundata esset) Congregatio illa, cui ab immaculata Virginis Conceptione nomen est inditum, omnium prima fuit, quippe quæ anno 1574. die 13. Decembris est crecta: hæc scholasticis constat ætate grandioribus, quos vocant *studentes*, & vt omittam eos, qui ad Patriam reuertunt, quorum numerus non facile iniri posset: qui ad eam frequentes conueniunt (conueniunt autem ducenti circiter) ij ex vniuerso ferè Neapolitano Regno studiorum causa Neapolim confluunt, & partim Theologiæ, vel Philosophiæ; partim Iurisprudentiæ vel Medicinæ dant operam; atque absolutis studijs, vbi ad Patriam remigrarunt, suis monitis, & probitatis exemplis populares omnes ad pietatem inflàmant. Nonnulli etiam congregationes instar huius Neapolitanæ apud suos excitandas curant.

III. In eodem Collegio duo adhuc Scholasticorum iuniorum Congregationes habentur, altero anno 1579. instituta, altera ve ò aucto nimis sodalium numero sequentibus annis crecta.

IV. *Alia sodalitia in* In hoc ipso Collegio sex præterea honestorum Ciuium, partim mercatorum, partim



partim vrbis opificum numeratur sodalitia, in quib<sup>9</sup> maiores natu à junioribus, legio Dei-  
ij etiã, qui in pietate diuinius se exercue-  
re ab abjs tyronibus diuersa constituunt ta.

sodalitia, quorum omnium sodales Do-  
minicis, festis que diebus hora meridia-  
na simul in Templo lectioni, qua capita

V.

fidei explicantur intersunt: hac absoluta  
ad sua singuli se recipiunt sodalitia quæ  
anno 1582. magno huius Ciuitatis bo-

VI.

no inchoatæ, breuissimo temporis spa-  
tio tanta sodalium confluentium multi-  
tudine sunt auctæ, vt peculiarem Dei

VII.

benignitatem hominum animas sub  
Deiparæ patrocinio, cui hæc sodalitia  
sunt dicata, ad se pertrahere volentis,

VIII.

omnes agnoscerent pariter, ac lauda-  
rent: & nisi loci angustia, & ratio ipsa  
Collegij, quod litterarijs exercitationi-

bus ex instituto præcipue vacat, vetuis-  
sent; in longè maiorem sodalium, & so-  
dalitatum numerum exercuissent.

IX.

Adhæc in eodem Collegio Domini-  
cis, atque festis diebus in quandam Au-  
lam quamplurimi pueri conueniunt, qui

centum & quinquaginta circiter, & in-  
terdum eo amplius numerantur, quibus  
recitatis Litanij doctrine capita, & præ-

cepta benè viuendi ab vno è nostris tra-  
duntur: qui etiam si sodalitates formam

V 115 non



non habent, spontè tamen sua magna cum rerum spiritualium aviditate gregatim eò confluunt.

X.  
Sodalitas  
Purifica-  
tionis, in  
qua infide-  
les fidei  
Christia-  
na praece-  
ptis imbu-  
untur.

15 Præter has, quas recensuimus sodalitates, aliud in eodem Societatis Collegio, sub titulo *Purificationis Dei Genitricis*, piorum hominum est institutum sodalitiū; qui Christianorum mancipijs Mauris, Turcis, Æthiopijs ex impura Mahometis secta ad Christianam fidem traducendis operam suam omnè ponunt. Hi enim huiusmodi infideles diligenter inquirunt, ad nostros pertrahunt. Hi per sese, vno ex nostris præfide, in certum Collegij locum conveniunt, vbi sodalium munera obeunt. In aliam verò proximam aulam, quasi sub horum pia sollicitudine, ventitant tum ij, qui ex mancipiorum genere, sacro baptisinate sunt lustrati; tum etiam Catechumeni: quibus omnibus Christianæ fidei capita ab vno è nostris memoriter ediscenda traduntur, & explicantur. ibi Neophyti instruuntur, vt in pietatis studiō radices profundiores agant: quædam etiam pietatis officia, quæ in Sodalibus fieri solent, ab illis magno cum seruire præstantur. Et sanè fructus Dei, ac Deiparæ ope, non pœnitendus extitit: hoc enim proximo septennio ad trecenta



trecenta circiter capita nostrorum opera  
sacrum baptisma suscipere. Atque ex his  
complures pœnitentiæ, & sacrosanctæ  
Eucharistiæ Sacramenta crebrò vsur-  
pant. Nec in postremis hoc charitatis  
opus Neapoli reponendum videtur; si-  
quidem in libr. 7. Reuel. S. Brigittæ cap.  
28. Beatissima Virgo inter peccata, quæ  
Neapoli fieri, & Christo valdè displice-  
re testatur, primum illud fuit, quod  
multi mancipia sua ad Christi fidem  
traducere negligenter: vel si iam illam  
amplexati essent, in eadem instrui non  
curarent. Ex quo facile colligimus  
quanti sit faciendæ piæ hæc in infideles ad  
Christi fidem conuertendi sollicitudo:  
quam Paulus V. Summus Pontifex ita  
probavit, vt suo diplomate anno 1605.  
mense Nouembri, Cardinali Bellarmi-  
no hoc procurante, id magnoperè com-  
mendarit; ad decennium amplissimas  
Indulgentias nominatim concesserit,  
tum Sodalibus Oratorij Purificationis  
Neapoli erecti, tum etiam Patribus So-  
cieratis, qui eius Oratorij curam habent,  
& Dominus etiam, qui sua mancipia,  
vt instruuntur, eò mittunt.

*S. Brigitta  
Reuelatio.*

*Paulus V.  
Pontifex.*

*Cardina-  
lis Bellar-  
minus.*

16 Biennio antequam hæc ederemus,  
id est, anno 1611. mense Iulio in eodem  
Neapolitano Socieratis collegio, prin-

*XI.  
Congrega-  
tio Cleri-*



*corum  
Neapoli.*

*Pietatis  
munera,  
que in hac  
Congrega-  
tione ex-  
ercentur.*

*Alia Ob-  
latorum  
B. Virgi-  
nis exerci-  
tationes.*

cipium factum est Congregationis Clericorum sub titulo beatissimæ Virginis Assumptæ, quæ brevi in tantum sodalium numerum excreuit, vt sodales in præsentia anno numeret plures quadringentis, in his Neapolitani Cleri Sacerdotes, quosdam Primarios, & Episcopos omninò quatuordecim, qui in sodalium album ascribi voluerunt; & ad sodalitatem, quantum eorum occupationes patiuntur, veniunt: eius Congregationis institutum est, Sacerdotes in modo iuuandi proximos informare, quo maiori cum ministrorum, ac populorū profectu ea munera obeant, quæ propria sunt Sacerdotum. Conueniunt bis singulis hebdomadis, vno die profesto à prandio, quo traditur modus recitandi Horas Canonicas, faciendi sacrum, meditandi, concionandi, docendi pueros, ac rudes doctrinam Christianam, audiendi confessiones; tradendi alijs, & præsertim Monialibus exercitia spiritualia: modus item instruendi patres familias ad liberos, ac domesticos Christianis motibus informandos, aliaque his similia peragendi, quæ ad Sacerdotis munus in animabus iuuandis pertinere possunt. Altero die, qui Dominicus dies esse solet à prandio, (hoc enim tempus.



tempus Clericis ad conueniendum opportunum visum est) frequentant sodalium ijtantum, qui aliquot ante admissionem diebus exercitijs spiritualibus exculi, formula quam Propositi se totos B. Virgini adiuuandos ad æternam salutem proximos deuouent, sui- que oblationem Deiparæ fecerunt, vt propterea Oblati vocentur. Itaque in hac priuata Oblatorum Congregatione tria peragi solent:

1. Vnum est exerceri sodales vmbatili quadam specie, quæ præparet ad munus serui in cõcionibus, atq; exhortationib<sup>9</sup> habēdis, in docenda doctrina, Christiana in modo confessiones audiendi, & in experiendo cætera munia, de quibus in Congregatione publica instructiones acceperunt.

2. Alterum est per quartam horę partem varia mortificationum genera obire, quæ valent ad humilitatem, ac pietatem Christianam inserendam, ac conseruandam.

3. Tertium est quadrantis item spatio omnes simul aliquid pium meditati.

4. Sextò autem quoque mense pietatem, ac spiritus feruorem instaurare conantur: nam oblationem, qua se Virgini deuinxere, renouant; præmissa confessione



confessione generali, quam ex generali  
ultima inchoant. cuius testimonium à  
confessario scriptum exhibent.

*Animarū  
fructus,  
qui ex Clericorum  
Congregatione  
procedunt.* Credi vix pot. si quantus ex hoc opere  
re fructus ceperit existere. Plurimi sodalium,  
qui tum ex Episcoporum, tum e  
Sacerdotum exterorum numero Neapoli ad suas  
Dioceses rediere, accensu desiderio iuuandi suos  
populos, renouant in suis Urbibus, & Oppidis  
perutile doctrinæ Christianæ exercitium, inue-  
xere frequentem Sacramentorum usum,  
Congregationes erexere tum Laicorū,  
tum etiam Clericorum. Neapoli autem à  
sodalibus qui ad cōfessiones audiendas  
sunt approbati, inuisuntur vincti tum in  
custodijs, tum in tritemibus, & excoluntur  
adhortationibus, erudiuntur Christiana doctrina,  
expiantur pœnitentiæ Sacramento. Mulierum  
cenobia, qua sermone. qua exercitijs spiritualibus,  
qua Religiosorū votorū crebra renouatione,  
præmissa confessione generali, ad strictiorē,  
perfectioremq; viuendi rationem è suis  
confessarijs, qui hoc sodalitiū frequentant,  
excitantur. Et sanè in compluribus ex Clero  
magna apparet sanctitas, magna in celebrandis  
Missis, in recitandis Horis Canonicis pietas  
non absq; magna populi ædificatione. Atque hæc  
quidem



quidem initia spem omnibus faciunt  
fructus multò vberioris.

17 Mense Octobri insequentis anni *XII.*  
1612. in eodem Collegio instituta est *Congre-*  
*Congregatio Ludimagistrorum.* Cum *gatio Lu-*  
enim morum in Christiana Republica *dimagi-*  
renouatio maxima ex parte pendeat ex *strorum*  
bona puerorū institutione, Christianus *Neapoli.*  
autem populus suos pueros per Ludima-  
gistros ferè instituire soleat; quis nō vi-  
der quanti referat Ludimagistros pijs ex-  
ercitijs excolere, eosque erudire in mo-  
do informandi pueros bonis moribus,  
ac pietate Christiana? Itaque in hoc so-  
dalitio id potissimum agitur, vt Ludi-  
magistri proficiant in spiritu, Christia-  
næ iuuentutis iuuandæ zelum concipi-  
ant, discant varios modos, quibus  
puerorum animis Dei cognitionem in-  
stillent, malos mores ex eisdem euel-  
lant, & imbuant ijs virtutibus, quibus  
cum robustioris ætatis fuerint, Christia-  
næ Reipublicæ & adiumento, & orna-  
mēto esse possint. Ad hunc finē impressa  
est instructio quædā pro Ludimagistris,  
ex qua ferè sumuntur exhortationes,  
quæ ad ipsos habentur in sodalitio, quæ-  
que à sodalibus omnibus in suis scholis  
obseruari debet. Et certè si huiusmodi  
cœptis annuat Deus, & speramus; non  
dubita-



dubitamus fore, ut breui maxima futura sit morum renouatio, & aliarum Urbium idem exemplum sint secuturæ.

XII. 18 In Domo verò Professa Congregatio, quæ cæteris in eadem domo præstat, est illa, cui B. Virginis *Natiuitas* nomen dedit, nobilissimis primariisque viris, atque ex ijs compluribus, qui Magistratam gerunt refertissima, anno 1586. mense Ianuario instituta. Hæc præter ea, quæ ad sodalium pietatem spectant, aliaque cum cæteris Congregationibus cõmunia, quibus apud alios Ciues magnam probitatis opinionem eius sodales sunt consecuti, illud habet peculiare, quod ingenti pecuniæ summa à sodalibus vltro corrogata, quæ ad *duo* circiter *aureorum millia* in singulos annos ascendit, pauperum hominum, & honestarum familiarum, quos à publice mendicando pudor arcet, transmissa ad illarum vsque domos eleëmofyna inopiam subleuant.

XIV. In hac ipsa Domo Sacerdotes, & Clerici ad suam peculiarem Congregationem, quæ mense Februario anni 1593. est instituta profesto hebdomadæ die (ne festis à Templo abesse cogantur) conueniunt.

XV. Ad hæc duæ alia Congregationes ad Domum



Domum Professam spectant honestoru  
Ciuum, tum eorum qui aliquot munus  
in Curijs magistratum huius Regni ex-  
ercent, & *Curiales* vulgus appellat, tum  
*Mertatorum*, vel etiam Urbis opificum.

XVI.

Alia denique famulorum, qui quo  
tempore in Congregatione illa Virginis  
*nata* sui Domini detinentur, ipsi quo-  
que alio in loco ad pietatem instituun-  
tur, & exercentur.

XVII.

19 Ad extremum non est silentio præ-  
tereunda Congregatio Nautarum, ac *Nautarū*  
Piscatorum, qui in eo suburbio Neapo-  
litano degunt quod à plaga maritima *rum* Con-  
corrupto vocabulo *Chiaia* vulgus ap-  
pellat, & ad proximam Societatis nostrę *Probatio-*  
Probationis Domum, cui à *Virginis Doma*  
Annunciata est nomē in ea Ciuitatis re-  
gione sitam, quā *Æglam*, vulgò *Echiam tana.*  
dicunt, conueniunt. Hęc Congregatio  
mense Decemb. anno 1609. instituta est  
cum eodem anno propter rei familiaris  
angustias, quibus Collegium Neapoli-  
tanum præmebatur, Nouitijs Massam  
ad tempus aliquod concedentibus ij ex  
nostris, qui Theologiæ dant operam,  
ad eam Domum commigrassent; & ex  
eo loco in illud suburbium, atque in  
alias Ciuitatis proximas regiones, Do-  
minicis, Festisq; diebus, tum in plateis,  
tum

XVIII.

ac Piscato-

rum Con-

gregatio in

Probatio-

Neapoli-

tana.



447 *Congregationum Dei par-*  
eum in Templis doctrinam Christianam  
tradendo, homines ad peccatorum pœ-  
nitentiam inuitando, quod nouitij non  
ita præstare poterant, de more excurre-  
rent. Qua in re quantum Dei ope profe-  
cerint, testatur magna hominum mul-  
tudo vtriusque sexus hoc tempore ad  
Templum illud Sacramentorum pœni-  
tentia, & sanctissimæ Eucharistiæ su-  
scipiendorum causa adeuntium: proxi-  
mo enim festo Pentecostes octingenti  
circiter fuere, testatur & vitæ, ac mo-  
rum in illis regionibus non sine magna  
omnium admiratione in melius facta  
mutatio. In Congregatione verò Nau-  
tarum sodales numerantur ducenti, qui  
in pietate adeò proficiunt, vt multos iam  
annos in sancta viuendi ratione se exer-  
cuisse videantur.

Atque hæc de sodalitijs, quæ in domi-  
cilijs Societatis Iesu Neapoli sunt insti-  
tuta. Ex quibus quiuis coniecturam fa-  
cere poterit de Congregationibus, quæ  
in vniuersa Societate non tantum in Eu-  
ropa, sed in Orientis, & Occidentis  
solis Indijs plurimæ, & fre-  
quentissimæ ha-  
bentur.

EPILOGVS



EPILOGVS TOTIVS  
OPVSCVLI.

**H**is igitur de sanctissimæ Virginis Deiparæ laudibus; atque de pietate qua eam venerari debemus, vtcumque pertractatis, vela contrahentes vniuersæ huic disputationi finem imponamus. Et si enim (vt rectè Bernardus ait) non est, quod magis nos delectet: sed nec est, quod terreat magis quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. Quod si quid boni ipsa Magistra in hoc opusculo de eius laudibus dictū est, in eam) vt par est) referatur: si quid verò nostra imperitia, ac ruditate minus dignum eius maiestate locuti sumus, veniam ab ipsa precamur.

*Totius opus  
seculi con-  
clusio.*

*Bernard.  
serm. 4. de  
Assumpt.*

Interea illud suppliciter atque obnixè te Virgo sanctissima rogamus, & obsecramus, vt hoc qualemcunque nostrum munusculū, & dignitati, ac pro meritis tuis longè impar obsequiū pro tua benignitate suscipere non dedigneris. & quæ Thronus es Dei, multis ei nominibus proxima atq; auctoritate, & gratia apud eū polles maxima, quæ Matris & Aduo-

*Precatio  
ad Virgi-  
nem.*

*Apoc. 4.*

catæ



*Monstra  
te esse ma-  
trem.*

cata nostræ nomen, ac munus sustinere non dedignaris, erga me, ceterosque omnes famulos tuos monstres te esse Matrem. Fac ô piissima Mater, ut re ipsa tantæ tuæ dignationis effectum in nobis experiamur. Quamvis enim non melateat Virgo sanctissima egregiè in nos obire te munera Matris, & unicuique nostrum meritò te dicere posse. Monstra te esse filium: nec enim me fugit (quid enim me fugiat cum in me ipse quotidie experiar) nos per augustissimæ Matris beneficentia, & amplitudine charitatis, prostrarum virum imbecillitate filiorum partes minimè sustinere, & propter nostra demerita indignos planè esse, qui filij tui nominemur, ac sumus: Vellem namque Mater benignissima, ut tantum in nostris meritis esset ponderis, quantum est in tua charitate momenti: memineras tamen Mater sanctissima, quando aqua in lance non sumus, dictum tibi prius fuisse: *Ecce filius tuus, quam Ioanni, Ecce mater tua.* Quocirca tu prius aberrantes nos, & à recto virtutis tramite per abrupta vitiorum longissimè digressos quærere, inuenire, & ad diuinorum mandatorum viam caritatis tuæ nutu efficaciter reuocare digneris: ut ea saltem.

*Ioan. 19.  
B. Virgo  
nos ipsa  
prius qua-  
rit quam  
nos illam.*



rem ratione nos tibi filios exhibeamus.  
Compatere Domina, figmento nostro,  
quod luteum, quod leue est, quod ad  
mala procliuē. Coniue tantisper in er-  
ratis nostris, purga nos apud eum, quem  
ob nostra demerita meritò timemus, fi-  
lium tuum, Dominum nostrum. Tu  
enim es spes vnica peccatorum: per te  
speramus delictorum veniam, & in te  
beatissima nostrum est expectatio præ-  
miorum. Nos verò omnes (vt verbis  
vtarab Apostolo mutuatis, quæ & no-  
firæ huic te Throno Dei disputationi  
congruunt.) Adeamus cum fiducia ad  
hunc Thronum gratiæ, Deiparam sci-  
licet, vt misericordiam consequamur,  
& gratiam inueniamus in auxilio op-  
portuno. Ipsa enim, ex Isaia, est *solium*  
*illud in misericordia præparatum* Agno do-  
minatori Terra; & *sedebit super illud in*  
*veritate in Tabernaculo David, iudicans*  
*& quærens iudicium, & velociter redens,*  
*quod iustum est.* ita apud Isaiam.

Qui ergo miseris premimur, ærum-  
nis vrgemur, & calamitatum fluctibus  
vndique iactamur, ad Matrem miseri-  
cordiæ, quæ solium est in misericordia  
præparatū, in quo residet Deus miseri-  
cordiarū, & Deus totius consolationis  
accurramus; Deiparæ Virgini diuina o-  
pitulante

August.  
serm. 18. de  
Sanctis.

Ad B. Vir-  
ginem ac-  
curramus.  
Hebr. 4.

Isai. 16.

A



478 *Congregationum Deipara*  
pitulante gratia seruos, ac filios obse-  
quentes, minimeque degeneres ipsi ex-  
hibeamus: illi nos nostraque liberalissi-  
mè offerentes, eius efficacissimum, ac  
simul præsentissimum apud Deum pa-  
trocinium imploremus, vt eius benefi-  
cio misericordiam tandem consecuti, in  
Cœlesti Patria Christum Iesum eius  
filium laudare, benedicere & glorificare  
mereamur: cui sit cum Patre & S. Spi-  
ritu omnis laus, honor, glo-  
ria in sæcula sæculo-  
rum. Amen.

F I N I S.

R. P.







R. F. BERTH  
ANTONII

SPINELLI

Neapolitanus

TRAVEL  
DEVOTIONIS

ERGA DEUM  
VIRGINEM MARIAM  
SACROSANCTAM



Coloniae Agrippinae  
Apud Joannem  
ANNO 1700